



**R. P. Fr. Ioannis Poncii, Corcagia-Hiberni, Ordinis Ff.
Minorvm, Sacræ Theologiæ Lectoris Ivbilati, Olim in
Collegio Romano S. Isidori Primarij Professoris;
Philosophiæ Ad Mentem Scoti Cvrsvs Integer**

Poncius, Joannes

Lugduni, 1659

6. Vtrum detur reactio, seu vtrum agens agendo repariatur à passo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95688](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95688)

Respondeo, negando antecedens. Vt autem intelligatur quomodo fiat aqua frigidior, veniendum est ad secundam partem questionis, pro qua intelligenda.

Nota quod Antiperistasis sit vox Græca Latine significans circumobstantiam contrarij: unde actio per antiperistatim est actio qua intenditur qualitas alicuius subiecti propter circumobstantiam qualitatis contrariæ, quod dupliciter contingere potest. Primo cum intenditur qualitas innaturalis subiecto, vt calor aquæ in hieme augetur. Secundo cum intenditur qualitas naturalis subiecti; vt cum intenditur frigus aquæ in æstate.

CONCLUSIO II.

28. *Datur actio per antiperistatim*. Est communis omnium Philosophorum & medicorum contra Cardanum lib. 2. de subtilitate ad finem.

Probatur primo autoritate Philosophi aperte id asserentis, 1. Met. cap. 1. & alibi.

Secundo experientia: sentimus enim aquam putealem calidiorem esse in hieme, quam in æstate, & e contra frigidior in æstate, quam in hieme.

Respondet Cardanus, negando hanc experientiam: dicit enim sensum decipi ita iudicantem. Et dicit deceptione inde provenire quod cum corpus sit calidius in æstate quam in hieme, existimet aquam sibi applicatam esse frigidior in æstate, quam in hieme. Sed multo, magis decipitur Cardanus, nam non solum sentimus aquam calidiorem in hieme, dum manus nostra calida est, sed etiam dum valde friget; & similiter in æstate quando frigemus etiam, sentimus aquam frigidior, quam in hieme.

CONCLUSIO III.

29. *Intensio qualitatis in antiperistasi non fit per species intentionales tangibiles qualitatis*, quasi hæc ex repercussione ad corpora qualitativis contrariis affecta, redirent ad corpora, unde primo emanarunt, & in eis, qualitates, quarum sunt species, auferent. Est communis contra Marsil. 1. de gen. quest. 18. & alios quosdam.

Probatur, quia si species tangibiles reflexæ frigoris aut caloris possent producere frigus aut calorem, etiam species tangibiles directæ id facere possent contra aduersarium. Probatur sequela à paritate rationis.

Confirmatur, quia nulla alia species accidentis aut substantiæ producit accidentis aut substantiam, cuius est species: ergo species frigoris aut caloris nequeunt producere calorem, aut frigus.

Confirmatur secundo, quia species intentionales solum sunt productivæ actus vitalis, & ad hoc solum ponuntur in rerum natura: ergo non possunt producere calorem aut frigus.

CONCLUSIO IV.

30. *Qualitas naturalis in antiperistasi augetur per accidens* quidem ob transpirationem exhalationum qualitativis contrariis affectarum; per se vero tum ex naturali emanatione propriæ qualitatis, tum ex actione exhalationum propriarum, quæ ob antiperistatim non transpirant: verbi gratia, propterea aqua putealis in æstate frigidior est, quam in hieme, quia exhalationes calidæ, quæ in ipsa remanebant tempore hiemali, transpirant per poros aquæ ad vicina corpora, & quia aqua remotis impedimentis illis reducit se ad naturale frigus, adiuvantibus exhalationibus frigidis, quæ propter circumobstantiam corporum calidorum non transpirant. Hæc conclusio est communis.

Probatur, quia assignatur in ea sufficiens ratio, ob quâ qualitas naturalis possit intendi, obfidente contraria qualitate, & quia non potest assignari convenientior ratio.

CONCLUSIO V.

Qualitas innaturalis intenditur ob antiperistatim per accidens quidem, quia exhalationes propriæ transpirant; per se vero, tum quia exhalationes affecta simili qualitate a corporibus affectis opposita qualitate circumobstantibus detrahuntur ad corpus, cuius qualitas innaturalis intenditur; tum etiam quia exhalationes similes, quæ antecederent erant in isto corpore ob antiperistatim, non possunt transpirare. Hæc etiam est communis.

Probatur eadem ratione qua præcedens.

Quæritur primo, cur exhalationes innaturales prævalent exhalationibus propriis in antiperistasi.

Respondetur, quia sunt in multo maiori abundantia, transpirantibus undequeque propriis, & confluentibus innaturalibus.

Quæritur secundo, cur non fiat ordinariæ actio per antiperistatim, nisi in loco remoto ab agente contrariis ambiente.

Respondetur, quia agens illud contrarium à locis proximis repellit ad loca remotiora exhalationes sibi contrarias, & producit in iis qualitatem sibi naturalem.

Ex his patet, quantumvis detur actio per antiperistatim, idem tamen nunquam agere in se ipsum actione uniuoca, licet in antiperistasi naturali idem quandoque agat in seipsum actione æquiuoca.

QUESTIO VI.

Vtrum detur reactio, seu vtrum agens agendo repatiatur à passo.

31. *Reactio est alicuius patientis actio in illud ipsum*, à quo patitur, & repassio est passio alicuius agentis ab illo, in quod agit. Potest autem repassio, & reactio contingere, & secundum eandem partem quæ agit, aut quæ patitur, & secundum diuersas partes; vt si eadem pars ignis, quæ agit in aquam, repateretur ab ea, aut si ignis calefaciens aquam secundum vnâ partem, frigeret ab ea secundum aliam partem. Posset etiam contingere reactio & repassio vel secundum contrarietatem, vt si agens producat in passo frigus, & passum in agente calorem; vel secundum duas contrarietates, vt si agens producat in passo calorem, passum vero producat in agente humiditatem. Non est autem dubium, quin posset dari reactio secundum diuersas contrarietates; sed tota difficultas versatur circa reactionem, & repassioem secundum eandem partes, & secundum eandem contrarietatem.

CONCLUSIO.

32. *Datur reactio secundum eandem partem & contrarietatem*. Est communis cum Scoto dist. 44. q. 1. art. 1. & D. Thoma in 4. dist. 17. q. 1. contra Richardum Suetonium nostrum, qui ob solertiam argumentandi calculatorem, communiter *Calulator* per antonomasiam appellatur.

Probatur primo autoritate Philosophi c. 5. text. 55. & expressè 4. de generat. animal. cap. 3.

Probatur secundo experientia: nam ferrum calidum injectum in aqua frigida calefacit aquam, à qua frigetur; & idem est de aqua calida immixta frigida, quæ in se inuicem agunt. Item glacies manu calida apprehensa frigefacit manum, à qua secundum omnes partes calefit adeo, vt liqueat.

Probatur tertio, ratione à priori, quia corpus frigidum applicatum calido, habet virtutem producendi frigus in ipso, & corpus illud calidum habet virtutem producendi calorem in corpore illo frigido: ergo quando applicantur sibi sufficienter, agunt in se mutuo, & consequenter datur reactio.

Confirmatur, quia aliàs non fieret mixtio, quod est absurdum. Probatur sequela, quia mixtio fit per hoc, quod elementa agant in se mutuo, & attempent qualitates suas.

33. *Obicitur*: sequeretur quod idem moueretur motibus contrariis. Probatur sequela à *Calulatore* sic: si ignis bipalmaris, cuius medietas tantum agat in passum aliquod frigidum, & ab eodem passo repatiatur, reliqua vero pars ignis sit extra spheram passi, & non patiatur consequenter ab eo. Tunc sic, illa medietas ignis si repatiatur à passo, mouebitur ab ipso ad frigus & in eodem ipso tempore mouebitur à parte non repassa ignis ad calorem: pars enim non repassa aut melius, aut saltem æque bene applicatur parti repassa, ac passum, & consequenter tam poterit producere calorem in illa parte, quam passum poterit producere frigus. Hoc est fundamentum

Datur reactio secundum eandem partem, & contrarietatem.

mentum *Calulatoris*, in quo soluendo tantam difficultatem inueniunt Authores, ut vnusquisque alterius solutione reiecta, propriam excogitare voluerit sic, ut tot sint solutiones quot Authores qui nostram conclusionem tenent, quibus omnibus impugnatis facile sibi respondere videtur.

Auersa respondet concedendo sequelam, quam non putat absurdam: Sed re vera non vidit aut saltem non effugit difficultatem: nam quamuis non sit absurdum, quod idem simul moueatur motibus diuersis ad qualitates contrarias in gradibus, in quibus sunt compossibiles, tamen, ut ipse *Auersa* fateatur & ex se manifeste patet, non potest simul moueri ad illas in gradibus impossibilibus: argumentum autem vult hoc, non primum.

Itaque respondeo negando sequelam, quia prius debet frigidum producere frigus in illa parte repatiēte, quam pars ignis non repassa agat in ipsam: ergo non patitur simul pars repassa a passio frigido, & a parte non repassa.

Probatur antecedens, quia pars non repassa non potest agere in partem repassam, nisi inueniat ipsam dissimilem: non sit autem dissimilis, nisi par actionem passi producentis frigus in ipsa: ergo prius debet frige fieri a passio, quā pars non repassa poterit agere in ipsam. Quod si supponatur pars repassa habere septem gradus caloris, & tam passum esse applicatum ad producendum secundum gradum frigoris, quam partem non repatiētem ad producendum vnum gradum caloris; tum dico potentius habiturum effectum; & si sint æque potentia, vel neutrum producturum aliquid, vel determinandum a Deo quodnam ex ipsis debet producere.

34. *Simile huic est aliud argumentum*, quod proponunt sibi *Complutenſes*; si ignis dum ageret in aquam medio aëre, simul repateretur ab aqua, medio eodem aëre, aër deberet caleſcere ab igne & frige fieri ab aqua, & sic moueretur motibus contrariis.

Respondent Complutenſes in aëre illo intermedio assignandam esse partem determinatam ipsius cuiuslibet ex agentibus contrariis, maiorem vel minorem, iuxta maiorem vel minorem actiuitatem cuiusque; unde duo illa contraria agentia non agent simul in eandem partem istius medi; sed vnum in vnā partem & alterum in alteram; & quando alterant suas partes, tum quodlibet ex illis facit vnum agens cum sua parte & sic immediate in se inuicem agunt & reagent, nec mouent idem motibus contrariis.

Hæc responsio forte in re est bona, sed facilius respondetur, non esse inconueniens, quod idem moueatur motibus diuersis ad qualitates contrarias in gradibus, in quibus compatiuntur se inuicem naturaliter; in casu autem argumenti aliud non sequeretur de aëre medio inter ignem & aquam.

25. *Quæres*, an omne agens dum agit in passum, ab eodem passio repatiatur.

Respondeo primò non esse dubium, quin agens spirituale, verbi gratia Angelus, possit agere, mouendo corpora, absque eo quod patiatur ab ipsis; & quin etiam agentia naturalia possint producere species intentionales in subiectis, a quibus non patiuntur. Vnde difficultas est tantum; an quando agens agit in passum producendo in ipso aliquam qualitatem contrariam qualitibus passi, semper ab eodem passio repatiatur recipiendo ab ipso aliquem gradum contrariæ qualitatis suæ. In hoc ergo sensu

Respondeo secundò cum communi sententia affirmative, contra *Arriagam* disp... num. 19.

Probatur manifeste, quia illud passum est applicatum tam sufficienter, ut agat in agens illud, quam ut patiatur ab ipso, & est causa naturalis naturaliter productiua talis formæ, qualem in se habet in quocumque subiecto capaci: sed agens est subiectum capax: ergo.

Confirmatur respondendo ad rationes huius authoris. *Obiicit ergo primò*: stupa habens septem gradus caloris, & vnum frigoris applicatum igni, patitur ab igne & non agit in ignem: ergo falsa est nostra resolutio.

Probat autecedens quoad primam partem, quia re-

cipit ab igne octauum gradum, quo disponitur ad formam ignis.

Probatur etiam quoad secundam partem, quia in eo instanti, in quo applicatur & deberet agere in ignem per illum gradum frigoris non habet illum gradum frigoris: nam in eodem instanti producit ignis octauum gradum, quo expellitur ille vnicus gradus frigoris.

Respondetur: hoc argumentum supponere falsum, nimirum gradus intensiōis esse indiuisibiles, cum tamen quilibet ex illis sit diuisibilis in infinitum.

Sed respondeo in forma, negando antecedens, quoad secundam partem: & ad eius probationem dico quod in eo instanti, quo applicatur, non tollatur gradus frigoris, sed in tempore sequenti tollitur successiue, & successiue etiam per illum reagit in ignem.

36. *Obiicit secundò* nulla est necessitas fingendi dependentiam agentis a reactione: ergo.

Probatur antecedens, licet enim quando passum habet fortem qualitatem, reagat, tamen non est necesse ut semper habeat tam fortem qualitatem, ut possit reagere.

Confirmatur, quia non est credibile exiguum stupam in maximum ignem proiectam infrigidare illum: ergo.

Respondeo, negando antecedens, & ad probationem dico, quod sicut quando passum habet fortem qualitatem, fortiter reagit: ita quando habet minus fortem, minus fortiter reagit; nec vnquam habet tam debilem quin aliquo modo reagere possit.

Ad confirmationem Respondeo, negando antecedens: cum enim habeat aliquid actiuitatis, & ignis quantumuis magnus possit aliquantulum pati, cur non ageret in illum?



DISPUT. XXVI.

De nutritione, augmentatione, rarefactione, condensatione.

DE omnibus his actionibus, quæ conducere solent ad generationes, & corruptiones rerum corruptibilium, hac vnica disputatione agendum est.

QUESTIO I.

An, & quid sit Nutritio.

1. Nutritio duas potissimum significationes habet.

Primo significat conuersionem alimenti in propriam substantiam, & sic non solum viuientia corpora, sed etiam non viuientia nutriuntur; unde ignis dum conuertit lignum in propriam substantiam, dicitur consequenter nutrire se.

Secundo proprius significat conuersionem nutrimenti, quæ virtute vitali fit, id est virtute intrinseca viuientis, & de nutritione hoc modo accepta in hac disputatione agimus.

CONCLUSIO I.

Nutritio est aggeneratio vnius partis substantialis ad aliam factam per virtutem viuientis transmutantis materiam alimenti in suam substantiam, seu mutatio substantialis facta virtute vitali viuientis, per quam materia alimenti mutatur ex primatione forma substantialis nutrimenti viuientis ad illam, & simul coniungitur integraliter cum nutritio. Hæc est in re communis, patetque veritas eius ex declaratione.

Dicitur mutatio substantialis, ut distinguatur ab augmentatione, & alteratione, quæ cum habent pro termino ad quem accidunt, dicuntur accidentales: significatur autem hæc particula in priori descriptione per ly aggeneratio, per quod intelligitur quod nutritio fit generatio quædam, & consequenter fit mutatio substantialis.

Dicitur facta virtute vitali agentis, ut excludatur nutritio primo modo sumpta. Reliqua ponuntur, ut distinguatur

Facilior
responsio.

An omne
agens a-
gendo re-
patiatur.

Resolu-
tio affir-
mativa.

Duplici
nutritio.

Quid nu-
tritio
proprie
dicta.